

Pars prima de vniuerso

In infinitū et vita eorum per successiones imperpetuū propagande. Magis igitur conueniens fuit largitati creatoris hoc bonū facere in infinitū maius quā illud in infinitū minus. Dico insuper conueniens esse sapiētie et bonitati creatoris illud min⁹ dimittere propter hoc si isti presteret impedimentū. Quia igitur nec infiniti glorificari possunt homines nec eē simul multos tamē glorificari necesse ē. ut quod prohibet infinitas et quod mala merita aliorum alieque cause quas audies in sequentibus bonū glorificationis cuius tota multitudo hominū non est receptibilis de diuina largitate in parte saltē aliqua suppleatur. Quod si interrogauerit aliquis cū omnipotentie creatoris possibile sit omnes glorificari quod arctat vel angustat magnificentiam largitatis ipsius iam tibi multociens multis modis responsū ē super hoc. Reminiscere igitur quia naturalis corruptio et acquisita per vicia et peccata licet in nullo obistere possint diuine potentie faciūt tamen ut diuina iusticia partim hoc prohibeat fieri partim autē diuina voluntas ē ut hoc non fiat. Cuius sicut nulla causa ē nec in ea aut circa eam propter quod inquirendū. Alias etiā responsiones super hoc audiisti in capitulo de perpetuitate suppliciorū infernalium vbi etiā audiisti quia questio hominū est quēadmodum illa qua queris propter quid luna non habet splendore equalē splendori solis et quare non omnes stelle eiusdem claritatis. Similiter et ei qua queris propter quod non omnes homines sunt reges aut principes terreni talis ē et illa qua queris quare non omnes lapides preciosi similes sunt et ille questionibus quibus queris. Cur non omnes lapides carbunculi sunt vel smaragdi. Scito autē quia vulgaribus hominibus atque simplicibus non leuia argumenta sunt scriptura resurrectionis corporum quod sumuntur ex compassionibus ipsorum corporum vel ad homines vel ad animalia alia. Si ei corpora partes hominum sunt. Si sole anime glorificabunt dimidij homines remunerabunt. Tu vero vides quod ridiculosum sit seruū vel seruitore remunerare dimidiū. Si vero domus animarum sunt ipsa corpora. Domus in quibus naturales earum sunt. Conueniens ē bonitati largitatiq; creatoris ut dum extra ipsa sunt suo tempore reficiantur eis atque reparentur imo preparentur eis decorentur et ornentur per congruentia glorie illius quā adempture sunt. Eodem modo si vestes animarum sunt vestes in quibus naturales denudatio carum in

dabitater per miserie ē propter quod necesse ē ut reddatur eis vestes hominū non in vilitate et scissuris vilitateque saccina in quibus modo sunt hoc ē in quibus in vita ista habuerunt sed in gloria et decore quod felicitati future deserviat et procedat. Sicut et ex compassionibus regni illius et glorie ad ipsos homines vel animas ipsorum conuenientia vulgaribus hominibus atque simplicibus sumuntur argumenta. Indecens enim et illiberale modis omnibus ē et inaudite hactenus rusciditatis ut aliquis diues in hospitio suo siue in domus sua nolit recipere hospitē quē diligit nisi dimidium aut nisi nudum. Est enim gloria illa celestis domus gloriose habitationis beatificandorum hominum et animarum. et sic palaciū regis regum in qua domo habitat et manet creator beatus dictus tanquam prefamilias eiusque cū eo perfecta familia. Milia scilicet militum sanctorum angelorum et beatarum animarum quod iam ibi pietatis sue dignatione et recepte sunt iuxta fidem et doctrinam christianorum. Ibi sedet velut in palacio et solio glorie sue velut rex vniuersalis donationis cuius magnificentiam nec attingit estimatio neque cogitatus. An autem et alie substantie ibi sint quod arabes et greci philosophi intelligentias vocant audies loco suo. Ex compassionibus igitur quod sunt domus ad hospitē siue palaciū ad eundem et ex liberalitate atque largitate creatoris quas necesse ē in vilitate perfectionis. Impossibile ē ut corpora hominum si partes hominum sunt excludat omnino a domo sua vel hospicio siue palatio. Similiter si vestes animarum sunt. Eodem modo si corpora humana velut equi animarum sunt non pacietur ea excludi a domo sua vel palatio. Magnificentia largitatis creatoris sublimis hoc ei neque apud nos neque apud liberales hospites permittit fieri id modicum quod apud eos est liberalitatis et largitatis. Quotofortius igitur non pacietur istam illiberalitatem fons ille abyssalis ac redundatissime largitatis. Habet autem et gens christiana argumentum non solum fortissimum ad astruendam resurrectionem bonorum sed etiam auditu iocundissimū ex resurrectione filij dei quē credunt ineffabili largitate pietatis et gratie sue pro salute hominū factū hominē et etiā morte suscepti corporis mortuum hominū enim gloriosa resurrectio per testes et multociens apud eos claruit ita quod etiam a quingentis simul testibus visus est vna hora post mortem suam. Quia igitur apud eundem et iustissimū iudicem equalium merito